

in ipsa domo deperiret, ex tunc promisit prefatus Stephanus ea de mercatorio suo supplere. In casu ubi in solutione in termino predicto negligenter reperiretur, extunc prefatus Jacobus licite poterit recipere dictas xv sexag. super domum et mercatorium supernominatis.

36. A. d. m<sup>o</sup> etc. nonages. secundo sexta feria a. d. s. Jacobi Marcus advocatus de Novacivitate promisit sub obligacione omnium bonorum Johannem Sthaler de decem marcis apud moniales s. Clare pro v fertonibus census annui receptis finaliter exbirgare et indempniter libertare, quas pecunias dictus Johannes pro Adam fratre Marci filius Ticzkonis iudei dederat pro usuris.

Pfandrecht. 37. (A. 1358 f. sexta a. f. penthec.) Constitutus coram nobis in nostro pleno consilio discretus vir Schimko carnifex noster concivis de voluntate sue conthoralis ac omnium heredum suorum consensu maccellum suum carniū quondam Bartuschii fratris sui in quinque marcis gross. den. pragens. nomine veri pignoris honorabili domino Johanni plebano ecclesie s. Mauricii taliter obligavit, quod predictus Schimko vel sui heredes vel successores predicto domino plebano vel suis successoribus singulis quatuor temporibus octo grossos dictorum denariorum ratione testamenti, prout predictus Bartuschius disposuit, dare debent et tenentur tamdiu, quousque predictus Schimko mediam marcam veri census in certis hereditatibus titulo empionis comparabit. Pro censu vero neglecto inpignoracio licite fieri potest cum pena prout de censibus est consuetum.

38. (A. 1359.) Nota Clara relicta Wismanni obligavit Elizabethæ precigne sue medium maccellum a fine pro sex marcis Michaeli solvendis, alioquin censuabit annue in carnisprivio incipiendo proximo eidem Elizabethæ, omni suo iuri, si quod sibi competeret, in bonis paternis renunciante, unam marcam census donec reematur. Script. f. sec. rogacionum.

39. Relicta Wlczkonis obligavit Johanni nepoti Petri Janonis domum suam et maccellum carniū pro xiii marcis debiti ex causa empionis eiusdem sue domus contracte, post lapsum septenii proximi et continui solvendi, sic quod medio tempore singulis annis censuare debeat ii marcas et de qualibet braxatura iiii tynas silique de pecunia prenotata. Act. a. d. m ccc lx<sup>o</sup> die s. Georgii mart.

40. (A. 1362.) Nota Nicolaus dictus Choler recognovit, quod Stephanus de Luthovia curiam in sua potestate et possessione in